

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis Universa**

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, insertis suo loco  
Propositionibus à S. Sede Apostolica novissimè damnatis concinnata. Et  
Per Casus Practicos exposita

Complectens LXXV. Casus Materiam de Conscientia, Legibus, Peccatis,  
Fide, Spe, Charitate, Jure, Justitia, Restitutione, Contractibus, Judiciis &  
Religione &c.

**Jansen, Leonhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Ex Tractatu De Judiciis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39867**

1. 31. num. 129. ubicum multis docet contrarium, dicitque multoties à Rota decisum. Novitus testans in ipso Novitiatu non tenetur servare solemnitates juris civilis, sed potest se conformare Juri Can. de cuius foro jam effectus est, secùs si ante Novitiatum testetur, nisi testetur ad causas pias, Eng. num. 32. An Clerici sacerdtales de bonis Ecclesiasticis testari possint, dixi Cas. 24. num. 15.

## C A S U S LXII.

## Ex Tractatu de Judiciis

PUBLIUS *Judex causas retardat, Signorans in-justas fert sententias, 1. In dubiis & probabi-ibus sententiatur pro amico, 2. Munera accipit, 3. In quavis causa ad vecatum agit, 4. Et pluri-bus subservit, quam tueri possit, 5. Auditio crimi-ne inquirit in Cajum, 6. Et cum nec Fiscus nec alii Cajum accusent, 7. Testes etiam occulta crimina, & ea, quae sub secreto habent, 8. & omnia, quae credunt esse vera, et si ipse sciat esse falsa, edicere cogit, qui falsò dicta non revocant, 9. Reus super crimine interrogatus primura jurato negat, 10. ex-post promissa impunitate fatetur, 11. Complices oc-cultos prodit, accusatores de veris & falsis crimini-bus accusat, 12. Ad declinanda tormenta fatetur crimen à se non commissum vel plane occultum, 13. Contra satellites se defendit, carcerem amicis sua-dentibus & juvantibus effringit, ad triremes con-demnatus fugit, 14 Pro Resolut.*

QUÆR. I Quæ personæ concurrant ad ju-cium, & quæ sit judicis obligatio?

Re. Ad judicium præcipue concurrant judex, 1.  
ad-

advocatus , actor , reus , testis , &c.

Obligatio judicis est : 1. Habere scientiam officio competentem ; si ex culpabili ignorantia , malitia vel respectu humano iniquam ferat sententiam , peccat mortaliter , teneturque ad omnem damnum parti læsæ ; idem est , si sententias sine justa causa differat , causéisque partibus inutiles expensas ; si pergit cum periculo partium in sua inqualificatione , absolvitur non potest nisi dimissò officiō . Si bonâ fide pronunciavit injustam sententiam , tenetur monere partem læsam , ut appellatione vel aliter sibi provideat .

2. Debet in judicando sequi id , quod probabilius est , ut dixi Casu 3 . num . 8 . Ratio est , quod judex ex vi officii & tacito contractu cum Repub . debeat judicare juxta allegata & probata , ideoque illi addicere causam , qui magis probaverit . Si jus utriusque partis sit æquè probabile aut æquè dubium , & neuter sit in possessione , debet rem litigiosam dividere , aut , si dividi non possit , litem per concordiam vel transactionem finire .

3. Debet tantum judicare subditos & causas sibi subjectas ; trahens clericum ad tribunal sacerdotiale excommunicatur in Bulla cœnæ .

4. Utroque jure Canonico & civili prohibitum est offerre , & judici acceptare munera ob periculum perversionis : immo munera magna ante prolationem sententiæ acceptare videtur jure naturæ illicitum , quia multum inclinant ad pertinendum judicium juxta illud Eccl . 20 . Xenia & dona excœcant oculos judicium . Et Exod 23 . nec accipias munera , quæ etiam excœcant prudentes & subvertunt verbajustorum . Et quamvis unus forret , qui à tali dono non moveretur , moverentur tamen plerique , & ideo recte censetur jure naturæ

turæ

turæ prohibitum, sicut fornicatio, quamvis forte in uno vel alio casu non noceat educationi prolium, quia tamen nocet plerumque, ideo omni casu est prohibita; & quamvis acceptans acquirat istorum munerum dominium, tamen ea tenetur restituere ante sententiam; nam sicut acceptatio, sic & retentio movet plerumque ad pervertendum judicium; nec excusatur judex, quod recusando vel remittendo munera timeat notam inurbanitatis vel infamiae, nam respuere vel remittere munera apud bonos & prudentes potius honorem & laudem conciliat ob zelum justitiae; dixi ante sententiam, nam cum judex istorum munerum acquisierit dominium, non tenetur ea restituere post sententiam, quia jam cessat periculum perversionis, si tamen sententia foret injusta, indubie tenetur satisfacere parti lœsa pro omnī damno causato. *Vasq. Lugo*, Sporer t. 5. c. 5. num. 125.

5. Si verò absit omne periculum, nec judex juramento astringatur ad non acceptanda munera, jure naturæ non erit illicitum exigua quædam acceptare præsertim post sententiam, dummodo dentur planè liberè ex justo titulo, v. g. pro extraordinaria judicis diligentia in maturanda sententia, &c.

6. Si judex, assessores, aut Referendarii non sint satis stipendiati à Magistratu vel Principe, possunt exigere à partibus sportulas seu stipendium suo labore proportionatum; si verò satis sint stipendiati, & tamen se ita gerant, ut partes satiis intelligent, eos officio non satis functuros aut causas dilaturos, nisi inungantur, peccant contra justitiam gravissime; tenenturque restituere,

V u quid-

R. D. Jansen Thol. Moral. Tom. I.

quidquid hac viâ acceperunt ; quia partes non dant ea liberè , sed potius coactè . Si tot sint causæ , ut judex omnes expedire non possit , regulariter præferendæ sunt antiquiores & privilegiatae pauperum , viduarum , pupillorum &c. sed quid si adsint plures causæ æquali jure gaudentes ; an tunc saltem judex possit acceptare aliquid , ut unam præferat alteri ; cum enim omnes simul expedire non possit ; liberum ei est præferre quam vult ? R. quamvis id admittat Laym. c. 4. num. 9. tamen in praxi videtur esse periculose & occasio pervertendi judicium saltem , si detur quid valde notabile .

QUÆR. II. Quæ sint obligationes Advocati ?

4. R. Sequentes : 1. Ut habeat scientiam convenientem suo officio : Si ex hujus defectu unius vel alteri parti damnum causet , tenetur illud resarcire ; manetque in statu damnationis quamdiu carens debitâ scientiâ officium suum exercet , quia vel suos clientes , vel adversarios periculo gravium damnorum exponit ; non tamen requiritur scientia exquisitissima ; sed sufficit talis , qualem plerique timorati in simili functione habere solent .

2. Ut causa , quam tuetur , sit justa aut saltem verè probabilis ; nec obstat , quod opposita ei videatur probabilior ; nam sicut cliens habet jus rationes suas probabiles in judicio proponendi , sic & Advocatus nomine ipsius , & forte judex judicat probabiliorem , quam ipse judicat minus probabilem . Vsq. Salas , Lorca , Diana . & plures apud Lugo d. 41 num. 8. Si in cursu litis advertat causam esse injustam , tenetur monere clientem , ut desistat ; alias & clienti & parti ad-

ver-

versæ tenebitur de omni damno inde secuto , s.  
Tb. q. 73. a. 3. Hinc, antequam suscipiat cau-  
sam , ejus merita diligenter examinare , & de  
ejus periculo clientem monere debet. Si ex ne-  
gligentia vel ignorantia culpabili malè consulat,  
tenetur ad omne damnum vid. Cas. 38. num. 6.  
& 22. Si quasvis causas suscipere paratus sit , est  
in continuo statu peccati mortal is , nec potest  
absolvi nisi mutata in melius mente.

3. Debet clienti suo esse fidelis , causam &  
documenta ejus non prodere , aut adversæ parti  
simul inservire nec in eadem causa agere Advoc-  
atum & Judicem propter periculum partialitatis,  
aut plures causas suscipere , quām tueri possit , nec  
injustè causas vel probationem differendo clien-  
tī vel parti adversæ causare inutiles expensas , tunc  
enim utrīque tenebitur ad restitutionem ; plerā-  
que jam dicta etiam tenent de Referendariis , Se-  
cretariis , Procuratoribus , Notariis , &c.

QUÆR. III. Quid de ordine judiciali , de a-  
ctore , reo , testibus , &c.

R. 1. Judex in civilibus non procedit nisi ad 6.  
instantiam partis , qui instat vel petit aliquid in  
judicio , vocatur actor , à quo aliquid petitur ,  
vocatur reus. In criminalibus triplici modo ju-  
dex procedere potest : 1. Per viam accusationis  
quando scilicet accusator reum in scriptis judicii  
defert cum onere probandi. 2. Per viam denun-  
ciationis , quando verbo vel scripto reus judicii  
defertur sine obligatione probandi. 3. Per viam  
inquisitionis , quando judex ex officio inquirit in  
crimen , idque vel generaliter , v. g. in genere  
quærendo , an aliquod crimen commissum sit , vel  
specialiter , an hoc crimen ab hac persona , v. g.  
Cajo commissum sit. Inquisitionem generalem

V u 2 judec

judex semper facere potest ; specialem non potest , nisi præcesserit infamia authoris per duos testes juratos ante inquisitionem probata.

7. Rx. 2. Fiscus vel alius à Magistratu ad hoc constitutus tenetur ex justitia & officio reos accusare , privatus nunquam tenetur , nisi crimen vergat in grave damnum Reip. vel innocentis , tunc enim tenebitur ex charitate , si commodè possit , illud accusare vel denunciare judici.

8. Rx. 3. Ad judicium requiruntur ad minùs duo testes omni exceptione maiores in aliquibus causis etiam plures ; nemo tamen tenetur testari , nisi legitimè jussus à judice , aut cùm ejus testimonium necessarium est pro avertendo malo Reip. vel innocentis ; si crimen sit occultum , nemini damnosum & in judicio probari possit , licet potes illud judici deferre , ne crimina maneat impunita , *Suar. Filliut. Mol. tom. 5. d. 32.* ad hoc tamen non teneris ; Si verò criminis notitiam habes per injuriam , v. g. ex litteris sine jure apertis , sub secreto im-vel explicito , v. g. quā consultus advocatus , medicus , chirurgus , &c. tunc etiam à Superiore jussus crimen fateri nec debes nec potes , quia secretum obligat ex jure naturali , contra quod Superior præcipere non potest ; excipe , nisi reus perget innocentia vel Reip. nocere , tunc enim secretum effet de re illicita , utpote contra bonum commune vel innocentis , ideoque non obligat , *Less. Mol. d. 5. V. Cas. 18. à num. 7.* Quòd si testis legitimè à Superiore jussus se à testando subtrahat , & alter ex defectu talis testimonii causâ cadat , multi talem obligant ad restitutionem , at verius est oppositum , quia non ex justitia sed obedientia tenebatur dare testimonium : ergo si ex defectu testimonii alter

patiatur damnum, hoc reparare non tenebitur ; sicut non tenetur juxta omnes Religiosus vel filius-familias , si à Superiore vel patre justus restinguere incendium in domo vicini , illud non restinguat.

R<sup>e</sup>. 4. Nullo casu licet testari, vel alium inducere ad testandum scienter falsum ; si testis ignoret , tu verò scias esse falsum , adhuc inducere non potes ad jurandum , quia perjurium etiam materiale est intrinsecè malum sicut blasphemia, *Azor Suar. Vasq. Pontius, Sanch. 10. i. in dec. l. 3. c. 8. num. 10.* nisi forte dicas , hīc non esse perjurium nequidem materiale , eò quod testis non juret rem ita esse sed se putare , quod ita sit , quod verum est. Quis testatus est scienter falsum , tenetur illud revocare etiam cum pari suo damno , si speretur fructus revocationis. Ratio est , quia in pari damno habenda est major ratio innocentis. Si bona fide falsum dixit , adhuc tenebitur & quidem ex justitia revocare , ut patet ex dictis *Cas. 44. num. 3.* sed non cum notabili damno , nisi forte agatur de vita innocentis. Si dixit crimen verum sed injuste , quia v. g. habebat sub secreto , vel quia dixit iis , quibus sine detractione dici non poterat , est quidem obligatio famam læsam redintegrandi , sed non cum periculo vitæ , et si alter inde incurrat sententiam mortis, *Tamb. l. 8. t. 4. c. 1. § 9.* Nam si crimen est verum & legitimè probatum , sententia mortis est justa , pro justa autem mortis sententia non debetur restitutio saltem cum tanto incommodo.

R<sup>e</sup>. 5. Circa reum tenenda sunt sequentia: 1. *10.* Reus regulariter à judice non potest condemnari , nisi citatus , auditus & convictus.

V u 3

2. Si

2. Si reus interrogetur à judice super crimine nequidem per unum testem vel alia indicia semiprobato, respondere non tenetur, imò crimen etiam jurato negare potest; hoc enim non est mentiri, sed dicere se non commisso crimen semiprobatum, quod verum est: si crimen est semiprobatum, *Nav. Sylves. Ang. Rodrig.* aliique apud *Lug. d. 38. num. 14.* docent, reum adhuc non teneri fateri, quando agitur de amissione vitæ vel membra, honoris, libertatis vel omnium bonorum, idque *Lug. Less. Henrig.* meritò dicunt esse valde probabile. Rationē dant 1. quod lex humana non obliget cum manifesto vitæ periculo, nisi fortè periclitetur ipsa Respublica, quod hic non supponitur. 2. Reus absens citatus non tenetur comparere etiam crimine plenè probato, & incarceratus fugere potest: ergo nec crimen semiprobatum tenetur fateri. 3. Testis iussus testari contra proximè conjunctum vel etiam contra extraneum cum gravi suo damno non tenetur obediare: ergo nec contra seipsum cum manifesto vitæ periculo; opposita tamen sententia, quod reus super crimine semiprobato juridicè interrogatus teneatur veritatem contra se fateri, est communis, *S. Th. q. 69. a. 1. Cajet. Sotius, Covar. Less. Sanch. conf. l. 6, c. 3. dub. 29.* nam judex in tali casu habet jus interrogandi: ergo alter obligationem respondendi, sunt enim hæc essentialiter correlativa; deinde bonum commune videtur exigere ejusmodi confessionē, ne crimina maneant impunita; bono autem communī vita privata nocentis postponi debet. Sententia prior in tantum servit, ut Confessarius non teneatur multū urgere reum ad fatendum crimen, minus propterea denegare solutionem, dummodo neget bonā fide.

3. An

3. An confessio Rei spe impunitatis extorta sufficiat ad ejus condemnationem , non convenit inter DD. Si reus erat obligatus crimen fateri , eò quod esset semiprobatum , tunc sive impunitas facte , sive ex animo promissa fuit , judex nec potest , nec debet stare promissis , postquam crimen legitimè confessus est , nisi forte sit judex supremus , & illæ adsint circumstantiae , ut pœnam licite relaxare possit ; judex autem inferior , quia non potest pœnam relaxare , sed ex officio tenetur plenè confessum condemnare , ideoque ejus promissio fuit de re illicita , & per consequens impleri nec potest , nec debet , *Felin. Sanch. l. I. de matr. d. II. num. 2.* Econtrà si reus non tenebatur fateri crimen , eò quod semiprobatione vel aliis indiciis non esset sufficienter gravatus , confessio non est valida , & sententia inde secuta est nulla , teneturque judex ad omnia damna , *Gometz , Imola conf. 106. Lug. à num. 178.* Ratio est , quia tunc judex nullum jus habet ad interrogandum , minus ad dolo extorquendam confessionem : ergo confessio est injuriosè obtenta cum obligatione restitutionis ; si tamen tertius absque culpa judicis confessionem extorsisset , posset reus à judice condemnari , quia crimen est plenè probatum , & judex nulli fecit injuriam .

4. Reus nec debet nec potest prodere complices omnino occultos , si convinci non possint , nec pergent nocere ; tunc enim non est justa causa eos diffamandi , potest verò ad justam suâ defensionem accusatoris vel testi occulta crimina revealare ad infirmandam eorum autoritatem , non tamen licitum est eis falsum crimen imponere , etiamsi injustè ab iis esset accusatus , ut certum est ex *Cas. 36. n. 5.*

V u 4      5. Si-

I. Sicut non licet alteri, sic nec sibi ipsi ad evitanda v. g. tormenta falsum crimen imponere, id enim foret perniciosum mendacium, & seipsum moraliter occidere, si obinde prævideatur ad mortem condemnandus, sicut moraliter occidet alterum, si ad evitanda tormenta ei capitale crimen imponeret, & judicem induceret ad occidendum innocentem. *Dices*: Ergo etiam ad evitanda tormenta vel ex motivo pœnitentiae non possem fieri occultum crimen verum, ob quod occidat, quia esset positivè concurrere ad mortem propriam. *R.* Esset concurrere ad mortem propriam justè infligendam, quod facilitas excusari potest, quam si concurratur ad mortem injustam seu non promeritam.

6. Reus potest licet facere, ut non capiatur, vincula & carceres effringere & fugere, vel etiam se ex manibus satellitum extricare, dummodò ministris justitiae vim non inferat, hoc enim esset potestati publicae resistere, quæ consistit in judice & ministris, non in vinculis & carcere, *Leff.* *Sancb.* c. 4. *dab.* 7. *Lug.* d. 4. a. n. 4. ubi dicit justè ad triremes damnatum & jam ibi existentem licet fugere posse, quia præceptum ibidem perseverandi est infirmitati humanæ intolerabile, sicut præceptum ferendi mortem vel mutilationem.

Sed potestne quis licet adjuvare reum ad fugiendum vel carcerem effringendum? *R.* Certum est in modo, id non licere ministris & Officialibus justitiae, quia ex officio tenentur custodire; certum est secundò, alios posse suadere reo fugam; quia si reo licitum est fugere, cur non licet fugam consulere? Tertiò licitum est reo præbere instrumenta ad effringendum carcerem, quia reus

reus licetè potest uti illis instrumentis , ergo & aliis licetè ea subministrat; sicut si licite quis pisces tur in alieno lacu , licetè ei ad hoc ministro mea retia , ita contra Sotum , Valent. Nav. tenent Cajet. Salon. Medin. Vasq. Leff.c. 31 dub. 6. Sanch. sup. dub. 10. Tamb l. 9. c. 2. §. 2.n. 12. ubi dicit , etiam licere reum juvare ad ipsam carceris fractionem . 1. Quia licetè ad hoc reo exhibeo mea instrumenta , cur non meam operam ? 2. Reus me licetè adhibet socium in effringendo ; cuienim licet finis , etiam licent media necessaria ; ergo & ego eum licetè adjuvo ; sicut si extremè indigens licetè aliena surripere possit per se , possum & ego pro ipso tanquam instrumentum , idque quoad proximè conjunctos , qui sunt eadem persona cum reo , facile admitto cum Dicast. de aliis cum communi Nego. quia si cuilibet liceret effringere carcerem periret omnis carceris securitas , cùm facile uni reo , non autem quibusvis aliis invigilari & resisti possit ,

## Ex Tractatu de Religione.

## C A S U S L X I I I .

De Statu Religioso , ejus essentia  
& proprietatibus,

**Q**uirinus Theologus interrogatur : 1. An veniens castitatem , obedientiam , Ec. in manus Confessarii sit verus Religiosus 2. An ad Novitatum admitti possit impubes , infamis , debitibus obstrictus , Ec. 3. An annus Novitiatus debeat esse integer de momento ad momentum . 4. An inter-

V u 5 rum-